

## CARTULARIUM MONASTERII S. PETRI GLOUCESTRIÆ.

### TRANSCRIPTA PRIVILEGIORUM ECCLESIAE SANCTI PETRI GLOUCESTRIÆ.<sup>1</sup>

DCCCCIX.

Innocentius, episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis A.D. 1200,  
abbati monasterii Sancti Petri Gloucestriae, ejusque fratribus, March 8.  
tam presentibus quam futuris, regularem vitam professis in Of privi-  
perpetuum. leges.

Religiosam vitam eligentibus, apostolicum debet adesse  
praesidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eos a  
proposito revocet, aut robur, quod absit, sacrae religionis  
infringat. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis  
postulationibus clementer annuimus, et praefatum monasterium,  
in quo divino mancipati estis obsequio, sub Beati Petri et  
nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti privilegio  
communimus.

In primis siquidem statuantes ut ordo monasticus qui secun-  
dum Dominum et Beati Benedicti regulam in eodem loco insti-  
tutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus observetur.

Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem  
monasterium in praesentiarum juste et canonice possidet, aut

<sup>1</sup> After this title the MS. gives the following fragment, against which *vacat* is written in the margin :—

*[I]n nomine Domini, Amen, anno ejusdem millesimo ducentesimo octogesimo quinto, indictione quartadecima, et pontificatus domini Honorii Papæ*

VOL. III.

*quarti anno primo, die septimo mense Februarii, universis transcriptum publicum inspecturis appareat evidenter, quod constitutus in praesentia mei infrascripti notarii et testium infrascriptorum ad hæc specialiter vocatorum et rogatorum. Vir re.*

A

in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant; in quibus hæc proprii duximus exprimenda vocabulis; locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est, cum pertinentiis suis; monasterium Herefordiæ, cum pertinentiis suis; prioratum de Bromfelde, cum pertinentiis suis; prioratum de Kilpeke, cum pertinentiis suis; prioratum de Ewyas, cum pertinentiis suis;<sup>1</sup> prioratum de Uggemore, cum pertinentiis suis; prioratum de Stanleya, cum pertinentiis suis; ecclesiam Beatæ Mariæ ante portam abbatiae, cum pertinentiis suis; ecclesiam Beati Johannis Baptistæ infra portam de North; ecclesiam de Stanedys; ecclesiam de Froucestria, cum pertinentiis earum; ecclesiam de Churchehamme; ecclesiam de Rodeforde; ecclesiam de Hardepirer;<sup>2</sup> ecclesiam de Prestone; ecclesiam de Novo Burgo in Wallia, cum pertinentiis earum; ecclesiam Sancti Paterni in Wallia; ecclesiam de Glasburia in Wallia; ecclesiam de Hynetone; ecclesiam de<sup>3</sup> Boclaunde; ecclesiam de Clifforde; ecclesiam de Nortona supra montes; ecclesiam de Northlecche; ecclesiam de Culna Sancti Aylwini, cum pertinentiis earum; ecclesiam de Culna Rogeri; ecclesiam de Dunteshurne; ecclesiam de Linkeholte; ecclesiam de Wyrardesbury; ecclesiam Sancti Martini in Londonia ubi vina venduntur; ecclesiam de Kynemeresforde; ecclesiam de Eythrop; ecclesiam de Burenham, cum omnibus pertinentiis earum; annuum censum viginti solidorum sterlingorum infra muros urbis Oxenfordiæ; villam quæ dicitur Berthona; villas<sup>4</sup> de Bernewode, de Abbelade, de Hinehamme, de Churchehamme, et de Bromptone, cum omnibus pertinentiis suis; villas<sup>4</sup> de Ullingewike, de Hyda, de Prestone, de Rudele, de Boxwella, de Froucestria, de Stanedis, de Rugge, cum omnibus ad easdem pertinentibus; villas<sup>4</sup> de Brocprop, de Tuffeleya, de Hynetone, de Clifforde, de Boclande, de Northlecche, de Aldesworpe, de Estlecche, cum pertinentiis earum; Culnam Sancti Aylwini; Culnam Rogeri, cum pertinentiis suis; villas<sup>4</sup> de Dunteshurne, de Linkeholte, de Lutletone, de Sulftona, de Petsawe, de Cutthbrithleya, cum omnibus ad easdem villas spectantibus.

Sane novalium vestrorum quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum nullus a

<sup>1</sup> *suis*] repeated in MS.

<sup>2</sup> *Hardepuri* is inserted here in the margin in a later hand.

<sup>3</sup> *Hynetone* is inserted in the MS.

before *Boclaunde*, but with the sign of erasure.

<sup>4</sup> *villas*] villam, MS.

## S. PETRI GLOUCESTRÆ.

3

vobis decimas exigere vel extorquere præsumat; liceat quoque vobis clericos vel laycos, liberos et absolutos, e sæculo fugientes, ad conversionem recipere, et eos in ecclesia vestra sine contradictione qualibet retinere.

Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum, post factam in eodem loco professionem, fas sit absque sui abbatis licentia de claustro vestro, nisi arctioris religionis obtentu, discedere; discedentem vero absque communium litterarum cautione, nullus audeat retinere.

Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare.

Chrisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum qui ad sacros ordines fuerint promovendi a dyocæsano episcopo siquidem catholicus fuerit, et gratiam et communionem Apostolicæ Sedis habuerit, vobis volumus sine pravitate qualibet exhiberi.

Prohibemus insuper, ut infra fines parochiæ vestræ, nullus sine assensu dyocæsani episcopi et vestro, capellam seu oratorium de novo construere audeat, salvis privilegiis Romanorum Pontificum.

Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse discernimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati qui illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat; salva tamen iustitia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur.

Obunte vero te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum major pars consilii sanioris, secundum Dominum et Beati Benedicti regulam præviderit eligendum; libertates præterea et immunitates ecclesiæ vestræ concessas, necnon antiquas et rationabiles consuetudines hactenus observatas habemus, et eas futuris temporibus illibatas manere censemus.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus<sup>1</sup> fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicæ auctoritate et diocæsani episcopi canonica iustitia.

Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona

<sup>1</sup> *vexationibus*] originally written *exactionibus*, but subsequently altered.

hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jhesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jhesu Christi, quatinus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum Judicem, præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Data Laterani per manum Blasii Sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconi et notarii, octavo idus Martii, indictione quarta, Incarnationis Dominicæ anno millesimo ducentesimo, pontificatus vero domini Innocentii papæ tertii anno quarto.

## DCCCCX.

Of Wrays- Robertus,<sup>1</sup> episcopus Lincolnensis, clero et populo de bury. Bukinghamsyra, salutem et benedictionem.

Sciatis me concessisse et confirmasse abbati et monachis ecclesiæ Sancti Petri Gloucestriae, ecclesiam de Wirardesburia, et ecclesiam de Laverkestoke, cum omnibus quæ ad eas pertinent, quas Robertus Gernun eis dedit meo assensu in perpetuam elemosinam, libere et quiete tenendas, salva dignitate episcopali, et jure clerici qui eas modo tenet, etc.

## DCCCCXI.

A.D. 1125 Symon,<sup>2</sup> Dei gratia Wygorniensis episcopus, omnibus Sanctæ -1150. Matris Ecclesiæ filiis, salutem, gratiam, et benedictionem.

Of Cerney. Noverit fraternitas vestra quod ego, episcopali auctoritate, concessi abbati et conventui Sancti Petri Gloucestriae, plenum personatum in ecclesia Omnium Sanctorum de Cerneya, cum capella Sanctæ Helenæ de Helkestan, et terris, et decimis, et omnibus rebus ad eas pertinentibus, quas ex dono Walterii de Gloucestria multis jam annis quiete et inconcusse possederant, quas etiam Milo<sup>3</sup> filius ejus et hæres per manum meam in

<sup>1</sup> A repetition, with variations, of No. DCCIII. (*ante*, vol. ii. p. 165).

<sup>2</sup> A repetition, with variations, of No. CLXX. (*ante*, vol. i. p. 247).

<sup>3</sup> *Cerney Milonis* is inserted here in the margin in a later hand.

## S. PETRI GLOUCESTRÆ.

5

perpetuam elemosinam, liberas et quietas ab omni sæculari servitio et exactione eisdem concessit et confirmavit; salvo jure et dignitate episcopali.

Hoc quia ratum et inconvulsum in perpetuum manere volo, præsentî scripto et sigilli mei impressione confirmo. Hiis testibus.

## DCCCCXII.

Notum<sup>1</sup> sit tam præsentibus quam futuris, quod ego Ber- A.D. 1088.  
nardus de Novo Mercato dedi Deo, et Sancto Petro, et Serloni Of Glas-  
abbati et monachis Gloucestræ, Glasburiam, cum omnibus ad bury.  
eam pertinentibus; liberam et quietam ab omni sæculari ser-  
vitiio et consuetudine, in perpetuam elemosinam; et ecclesiam  
Sancti Kenedri in eadem villa, cum omnibus pertinentiis suis.  
Concedo etiam eis, et carta mea confirmo, totam decimam  
fotius domini mei per totam terram meam de Brekeniauc, in  
bosco et in plano, quicumque dominium meum habuerint vel  
coluerint, scilicet annonæ, pecorum, caseorum, venationis, et  
mellis, et de omnibus aliis rebus de quibus decimæ dari  
debent; insuper etiam ecclesiam de Coura, cum tota decima  
illius parochiæ, et terram ad ipsam ecclesiam pertinentem, et  
unam hydram quæ vocatur Beche.

Quæ omnia sigilli mei impressione confirmo. Hiis testibus.

## DCCCCXIII.

Notum sit tam præsentî ætati quam futuræ posteritati, quod A.D. 1148  
ego Gilbertus, Dei gratia Herefordensis episcopus, concedo -1163.  
ecclesiæ Sancti Petri Gloucestræ plenum personatum ecclesiæ Of Cow-  
Beatæ Mariæ de Coura, et in ecclesia Beati Laurentii de Teyn- arne.  
tona, cum capella, et terris, et decimis, et omnibus pertinentiis,  
et unam virgatam terræ quam Matilda de Teyntona ecclesiæ  
Beati Laurentii pro anima sua et pro animabus antecessorum  
[suorum] in perpetuam elemosinam donavit. Concedo etiam  
abbati de Gloucestræ ut in prædictis ecclesiis pro voluntate  
sua vicarios mittat, et si ei legitime non servierint, sub con-  
scientia episcopi amoveat.

Hoc quia ratum et inconvulsum manere volo, præsentî scripto et sigilli mei attestatione confirmo.

<sup>1</sup> A repetition, with variations, of No. CCLXXXI. (*ante*, vol. i. p. 314).

## DCCCCXIV.

A.D. 1148 Omnibus<sup>1</sup> fidelibus Ecclesiae G[ilbertus] Foliath, Herefordensis episcopus, W. decanus, cum toto capitulo Herefordensi, salutem in Domino.  
-1163.  
Of the  
same.

Noveritis nos, episcopali dignitate et auctoritate Herefordensis ecclesiae, ex dono nobilis viri Bernardi de Novo Mercato, et ad instantiam multorum nobilium, dilectos filios nostros in Christo abbatem et conventum Beati Petri Gloucestriae in ecclesia Sanctae Mariae de Coura impersonasse, atque plenum personatum eisdem concessisse, ad luminaria et ornamenta dictae ecclesiae Beati Petri invenienda per manum sacristae qui pro tempore fuerit, ita quod idem sacrista de praefata ecclesia de Coura nomine personatus quindecim marcas annuas percipiet donec dicta ecclesia vacaverit, qua vacante, licebit praefato sacristae illam ingredi et pacifice possidere absque alicujus impedimento, dummodo capellanus sive vicarius ibidem ministrans sufficientem atque honestam habeat sustentationem ad valentiam decem marcarum, et totum residuum convertatur in usus proprios dicti sacristae secundum quod melius disposuerit. Concedimus etiam eidem ut quietus sit ab omni decimatione de manerio suo de Rudele, similiter et de Hyda, praeter duos solidos annuos ecclesiae de parchulle ex antiquo persolvendos. Volumus etiam et concedimus ut abbas Gloucestriae quietus sit ab omni nostra synodo, et qualibet procuracione spectante ad episcopum Herefordensem ratione ecclesiarum habitarum in episcopatu Herefordensi.

Et hoc facimus propter fervorem honestae religionis quam florere novimus et non sine fructu in monasterio Gloucestrensi. Ex decreto itaque totius synodi nostrae in ecclesia Herefordensi sollemniter celebratae publice excommunicavimus omnes qui aliquo tempore contra istam nostram ordinationem atque confirmationem dictis monachis concessam veniunt vel venire praesumpserint, unde et hanc cartam nostram sigillis nostris ita communivimus, praesenti et teste tota nostra synodo Herefordensi.

---

<sup>1</sup> A repetition, with variations, of No. CLXXIX. (*ante*, vol. i. p. 252).

## DCCCCXV.

Universis Sanctæ Matris Ecclesiæ filiis, Hugo Folioth, A.D. 1219  
divina permissione Herefordensis episcopus, R. decanus,<sup>1</sup> cum  
toto capitulo Herefordensi, salutem. -1234.  
Of the  
same.

Sciatis nos inspexisse cartam bonæ memoriæ G[ilberti] Folioth, quondam Herefordensis episcopi, cum assensu capituli nostri, in qua continetur ipsos ecclesiam Beatæ Mariæ de Coura monasterio Beati Petri Gloucestræ concessisse, et in proprios usus confirmasse ad luminaria et ornamenta ejusdem monasterii inveniendâ per manus sacristæ ejusdem loci. Et cum nostrum sit rigare quod prædecessores nostri plantaverunt, sic enim eadem gratia quæ plantatori et debetur nutritori. Ratam ergo habentes illam donationem auctoritate qua freti sumus et potestate, eandem firmiter concedimus et confirmamus omnino eo modo quo carta illa protestatur in omnibus. Et cum aliquantulum hæsitaremus an ut vicarius magister Willelmus de Gloucestræ dictam ecclesiam de Coura possideret, idem magister super hiis diligenter a nobis requisitus, sub gravi juramento fatebatur se tantum vicarium existere, et de dicta ecclesia in xxxv. marcis annuis se obligari sacristæ Gloucestræ, et illi in tanta pecunia annuatim respondere; ut igitur nulli posteritati istud vertatur in dubium, dicimus, volumus, et concedimus, ut memoratus sacrista ecclesiam suam de Coura ingrediatur, et in manu suâ retineat quandocunque voluerit, salva sufficienti et honesta sustentatione unius capellani seu vicarii in dicta ecclesia ministrantis. Et sint<sup>2</sup> prædicti abbas et conventus quieti a synodo nostra sequenda, similiter ab omni procuratione quæ spectet vel spectare possit ad episcopum Herefordiæ visitando ecclesias ad dictum monasterium pertinentes in dycesesi Herefordiæ.

In cujus rei concessionem et confirmationem huic præsentis scripto sigilla nostra fecimus apponi.

Et inhibemus ex parte Dei ne quis contra istam nostram concessionem et confirmationem obviare præsumat sub pœna illa quæ expressa est in carta illa quam prædiximus a domino G[ilberto] Folioth prædecessore nostro sæpefacto monasterio confecta et collata.

Teste toto capitulo nostro.

<sup>1</sup> Ralph de Maidstone, dean, September 22, 1231–November 12, 1234. | <sup>2</sup> *sint*] *sin*, MS.

## DCCCCXVI.

A.D. 1271, Omnibus<sup>1</sup> Sanctæ Matris Ecclesiæ filiis, Johannes, Dei gratia  
 March 11. Herefordensis ecclesiæ minister humilis, salutem in Domino.

Of the  
 same.

Quoniam religiosorum loca pio semper affectu et benigno sunt prosequenda favore, ac ab illorum quorum interest provida dispositione, ita viris religiosis in necessariis est providendum ut contemplationi et orationi libere vacare, et hospitalitatem, quæ comes religionis esse debet, tam effectui sectari possint quam affectu, pensatis dilectorum filiorum abbatis et conventus Sancti Petri Gloucestriae meritis præclaris et caritate fervida, qui bona sibi a Domino collata in usus pauperum et hospitem susceptionem, tam in monasterio Sancti Petri prædicto, quam de Herefordia, Bromfelde, et Kilpec prioratibus nostræ dyocesis eidem monasterio subjectis liberaliter effundere solent, ut ipsi liberius divinis quibus se voverunt obsequiis intendant, et cum diffusioris amplificatione virtutis bonum foveant caritatis, licet per prædecessores nostros eisdem religiosis super appropriatione ecclesiæ de Magna Coura sufficienter videatur esse prospectum, sicut ex ipsorum instrumentis inspeximus eviderter, ex abundantia tamen auctoritate pontificali dictis abbati et conventui concedimus et confirmamus dictam ecclesiam de Magna Coura nostræ dyocesis in proprios usus perpetuo possidendam, ac etiam concessionem et confirmationem eisdem a prædecessoribus nostris prius super eadem factas, quantum in nobis est, ex certa conscientia confirmamus. Non obstante quod iidem religiosi ad memoratam ecclesiam de Coura clericos sæculares præsentasse dicuntur, vel compositione aliqua seu quorumcunque possessione vel alio quovis impedimento, ita tamen quod vicarius ibidem ministrans sufficientem et honestam habeat sustentationem ad valorem decem marcarum, et totum residuum in proprios usus dictorum religiosorum convertatur. Præterea dictos prioratus de Herefordia, Bromfelde, et Kilpeke, et ecclesias de Churchhamme et Prestone cum omnibus suis libertatibus et pertinentiis, et omnes ecclesias, pensiones, decimas majores et minores, quas in nostra dyocesi obtinent in præsentem, insuper collationes, concessionem, confirmationem, et omnes alias libertates tam a prædecessoribus nostris quam ab aliis quibuscunque eisdem religiosis in nostra dyocesi concessas eisdem abbati et conventui Sancti Petri Gloucestriae absque nostra succes-

---

<sup>1</sup> A repetition of No. CLXXXII. (*ante*, vol. i. p. 254).



## S. PETRI GLOUCESTRÆ.

9

sorumve nostrorum reclamacione, contradicione, seu qualibet perturbacione, episcopali auctoritate in usus proprios concedimus, et nunc et prius concessa<sup>1</sup> confirmamus, salva episcopali et Herefordensis ecclesiæ dignitate.

Data Herefordiæ quinto idus Martii anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo primo, pontificatus nostri anno tertio.

## DCCCCXVII.

Universis præsentis litteras inspecturis, decanus Herefordiæ et ejusdem loci capitulum, salutem in Domino. Of the same.

Noveritis nos inspexisse litteras venerabilis patris domini Johannis, Dei gratia Herefordensis episcopi, non cancellatas, non abollatas, nec in aliqua sui parte vitiatas, subscriptum tenorem verbo ad verbum continentes :

Omnibus Sanctæ Matris Ecclesiæ filiis, Johannes, Dei gratia Herefordensis ecclesiæ minister humilis, salutem in Domino.

Quoniam religiosorum loca pio semper affectu et benigno sunt proseguenda favore, etc., ut supra.

Has igitur collationes, concessionones, et confirmationes ratas et firmas habentes, easdem unanimi capituli nostri consensu confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus.

Data die et anno ut supra.

## DCCCCXVIII.

Omnibus Christi fidelibus ad quos præsens scriptum perverit, Savaricus, Dei gratia Bathoniensis et Glastoniensis episcopus, salutem in Domino. A.D. 1192  
-1205.

Attendentes honestam religionem dilectorum filiorum prioris et monachorum apud Ewyas in monastico habitu, sub ordinatione abbatis et conventus Gloucestræ, Domino famulantium, decimas totius domini de Burenham, quas in proprios usus hucusque noscuntur habuisse, eis auctoritate episcopali confirmamus, in usus proprios perpetuo habendas, et eisdem decimis rationabiliter æstimatis in eadem ecclesia quindecim marcas per manum vicarii perpetui qui in eadem ecclesia per nos vel per successores nostros instituetur annuatim in proprios usus in perpetuum percipiendas concedimus. Ita tamen quod

---

<sup>1</sup> *as* is inserted in the MS., after "concessa," but with the sign of erasure.

prædictarum decimarum æstimatio in numero prædictarum quindecim marcarum computabitur. Prædictus autem vicarius qui in eadem ecclesia pro residua parte ministraverit, de omni onere episcopali diocæsano et officialibus suis respondebit.

Ut autem hæc donatio et concessio rata sit in perpetuum, præsentî scripto, sigillo nostro munito, eam duximus roborare. Hiis testibus.

## DCCCCXIX.

Of the same.

Omnibus Christi fidelibus præsens scriptum inspecturis, Thomas prior Bathoniæ et ejusdem loci conventus, salutem in Domino.

Ad universitatis vestræ notitiam volumus devenire nos cartam bonæ memoriæ domini Savarici, quondam episcopi nostri, in-  
spexisse in hæc verba.

Omnibus Christi fidelibus ad quos præsens scriptum perve-  
nerit, Savaricus, Dei gratia Bathoniensis et Glastoniensis episcopus, salutem in Domino.

Attendentes honestam religionem, etc., ut supra.

Nos igitur præfatæ concessioni et confirmationi prædicti episcopi nostri nostrum præbemus assensum, et hoc præsentibus litteris nostris sigillo nostro munitis, protestamur.

## DCCCCXX.

A.D. 1268  
-1302.  
Exempli-  
fication of  
bulls.

Universis Christi fidelibus ad quos præsens scriptura perve-  
nerit, G[odefridus]<sup>1</sup> divina miseratione Wygorniensis ecclesiæ  
minister humilis, abbas Wynchecumbiæ, prior Sancti Oswaldi  
de Gloucestria, salutem in Domino sempiternam.

Supplicarunt nobis abbas et conventus Sancti Petri Gloucestr-  
triæ, ordinis Sancti Benedicti, Wygornensis dyocæsis, quod  
cum ipsi tam in curia Romana quam alibi in locis diversis  
et remotis propter varia suæ domus ac ipsorum negotia  
necesse habeant quædam instrumenta sua frequentius exhibere,  
ac eisdem valde sit periculosum sua instrumenta originalia  
propter casus fortuitos et viarum discrimina quotiens opus  
fuerit propalare, nos, ad ipsorum abbatis et conventus Sancti  
Petri instantiam, pro eo quod pium sit perhibere testimonium  
veritati, quædam dictorum abbatis et conventus tam Roma-  
norum pontificum quam multorum aliorum privilegia et in-

<sup>1</sup> Godfrey Giffard.